

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

GOTT zu allen Gnaden beschlen / und solt mich zu Ewern Diensten geneigt wissen und haben. Datum in Eyl den 6. Novembris / Anno 1558.

Ich hab bemelten meinen Sohn selbs zu Euch hinauff verführen wollen / hab ichs aber Hofgerichts und auch anderer Geschafft wegen / welchs mir leid / nit thun mögen / wo ver ich aber / Gottes billf / vermüglich und abkommen kan / wil ich / eb GOTT wil / näher dann in einem Monat bey Euch allen seyn / und mich mit Euch allen bekant machen / und freundlich ersprechen. Datum in literis.

## Erasmus von Benningen.

LXV.

*Johannes Marbachius, Theologia Doctor & Ecclesiae*

*Argentiniensis Superattendens, omnibus lecturis has literas*

*Salutem optat.*

**A**Rcanum & admirandum Dei decretum, de reparatione salutis hominum, primò per Filium Dei est revelatum, ut Johannes testatur; *filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.* Atque idem Filius deinceps excitatis Prophetis & Apostolis, conservavit ministerium Evangelii, & nunc sedens ad dextram Dei Patris, dat dona hominibus, alios Pastores, alios Evangelistas, ne praestigii errorum circumferamur, sed ut in vera Dei agnitione crescamus & ex fide in Mediatorem certam de vitâ æternâ consolationem habeamus. Ardenti-  
tibus igitur votis gratias agimus æterno Patri Domini nostri Jesu Christi, ejus-  
que Filio & Spiritui Sancto, quod Sacrosanctum ministerium, per quod col-  
ligit Ecclesiam victuram cum ipso in omni æternitate, & instituit & conser-  
vat, & salutare ministros mittit, quodque nos per verbum ad agnitionem  
sui Filii & Ecclesiae societatem vocavit, ac supplices petimus, ut perpetuò in-  
ter nos sinat lucere sui veram notitiam, colligat inter nos æternam Ecclesiam,  
& nos gubernet suo Spiritu Sancto, ut ipsi grata dicamus & faciamus.

Cum autem Petrus Patiens N. qui jam per aliquot annos in nostra Scholâ  
tum bonis literis, tum verò præcipuè Sacrae Theologiae operam dedit, ab Ec-  
clesiâ Landoensi ad mun<sup>o</sup> docendi Evangelium vocatus sit, & hanc suam voca-  
tionem, ut veram & legitimam, Conventus nostri Ecclesiastici sententiâ & cal-  
culo comprobari peteret, placuit Collegis meis, ut explorata prius in Ecce-  
siastico nostro Conventu ejus eruditione & auditis ante actæ vitæ testimoniis,  
publicam deinde in Ecclesia ordinationem adderemus. Cæpimus igitur  
ipsum audire & examinare diligenter, & animadvertimus, cum mediocriter  
institutum esse, & rectè tenere summam Christianæ pietatis, & amplecti pu-  
ram

ram Evangelii doctrinam, quam Ecclesia nostra, uno Spiritu & una voce, cum Catholica Ecclesia Christi profiteretur, & exposita est, in Confessione Augustana, quæ sine omni dubitatione est æterna Dei veritas, & omnium Prophetarum consentiens doctrina, & eum abhorrere ab omnibus fanaticis opinionibus, damnatis recto iudicio Ecclesiæ, & pugnantis cum doctrina Filii Dei.

Sicut verò hætenus in omni conversatione se modestum pium & nobis moderatum præstitit, ita etiam in posterum, in doctrina constantiam & in officio fidem & diligentiam promisit. Quare communi nostro consensu, juxta doctrinam Apostolorum publicâ ordinatione, ei ministerium docendi Evangelium & administrandi Sacramenta, à Filio DEI instituta, commendavimus. Cumq; Filius Dei dicat: *sine me nihil potestis facere*, primum precamur eum ardentibus votis, ut suæ Ecclesiæ gubernatores det idoneos & salutare, quo hujus Petri Patientis ministerium sit efficax & salutare; Deinde ipsum etiam Petrum & suam Ecclesiam hortamur, ut curent Evangelium Dei, contra furores Schwenckfeldii, Sacramentariorum, Anabaptistarum & aliorum fanaticorum hominum purè & fideliter conservari & propagari; nam hoc officio præcipuè Deus se coli postulat, sicut inquit Christus; *in hoc glorificatur Pater meus, ut fructus feratis & fiat in me discipuli*, & hac luce retenta, manet Ecclesia, & aderit in Ecclesia Deus, dabit vitam æternam invocantibus ipsum, & opitulabitur in ærumnis hujus vitæ. Ibi enim adest & exaudit Deus, ubi ipsius Evangelium verè sonat, sicut scriptum est, Johannis 15. cap. *si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, petetis & fiet vobis*. Datum Argentorati, 13. Novembris Anno 1558.

## LXVI.

*Salutem in Domino.*

Feliciter absoluto & itinere & Reformationis Ecclesiarum in agro negotio, & jam quieti ex aliqua parte redditus, intermittere non potui, Clarissime Domine Doctor, Collega & Frater in Domino observande, quin te hoc nuntio per literas meas salutarem, & hac salutatione, tanquam minimè obscuro argumento, tibi contestatum facerem, me omnia ea, quæ cum honorifico conventu publicè, nec non tecum privatim contuli, animo sincero & candido contulisse; nec aliter responsa à vobis accepta intellexisse & etiamnum hodie interpretari.

Ago autem vobis omnibus & singulis, nec non honestissimo & Ecclesiastico & Scholastico Collegio reverenter gratias, quod me tam amicè excepistis, tam fraternè audivistis & tandem ornatum splendidissima cæna & veneranda corona doctiss. virorum, neq; non ampliss. testimonio benignè dimissistis.